



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1859

XXXVIII. Die von Garthow verkaufen in verschiedenen Orten, welche zum Seelenheil des letzten Grafen Lüchow und des Markgrafen Hermann dem Kloster Diesdorf zugewandt werden, am 12. März 1328.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54934)

midiam quam colit Johannes de Lagendorpe, cum omni jure, cum advocatia in campis, in pratis, in silvis, pascuis, cultis et incultis, cum omnibus prouentibus, sicut ego hactenus habui et possedi predicta bona, sic predictus conventus in Distorp sine heredum meorum impetitione aliqua dicta bona libere possidebit. Nam dicta bona sibi a me pro XIV Marc. penning argenti rationabiliter comparauit. Presto etiam dictorum bonorum preposito et conventui warandiam sigillis in testimonium subscriptis videlicet Bodonis et hemponis de Knefebeke militum, Harneidi et Boldevini et Ludolfi de Knefebeke, famulorum. Datum Knefebeke. anno domini MCCCXXII. in die beati Georgii martiris.

Concordat prefens copia cum suo originali, quod ego Joachim Bindemann, publicus sacra apostolica auctoritate Notarius, hac mea manu attestor propria.

Gerden's Fragm. IV, 107.

XXXVII. Die Priorin und der Convent des Klosters Diesdorf treffen eine Anordnung wegen eines für die Sangmeisterei erbaueten Gebäudes, am 24. Februar 1326.

Nos dei gratia Mechtildis, priorissa, totusque conventus ancillarum Christi in Distorp. Notum facimus uniuersis — quod nos unanimi consensu domunculam sitam inter muros chori nostri contulimus ad officium cantricum perpetualiter quiete possidendam ad referuandos libros ecclesie sub cautela tutiori. Quam videlicet domum inveteratam et dilapsam Beatrix, eo tempore cantrix, a fundamentis renovari et edificari fecit ex sumptibus officii predicti, exponens circa illam summam trium marcarum pretii prompti, notitia omnium nostrum, cum consensu ac scitu nostri prepositi Swideri . . . Ne hoc factum aliqua temeraria presumptione aut turbulenta inquisitione infringatur tam a modernis quam a futuris, hanc cartulam ex communi deliberatione capituli nostri fecimus conscribi et sigilli nostri roborari appensione. Datum et actum anno domini M^o. CCC^o. XXVI^o. in die S. Mathie Evangeliste.

Gerden's Dipl. II, 182. 183.

XXXVIII. Die von Garthow verkauften Gebungen in verschiedenen Orten, welche zum Seelenheil des letzten Grafen von Lüchow und des Markgrafen Hermann dem Kloster Diesdorf zugewandt werden, am 12. März 1328.

Nos Henningus et Fredericus junior, famuli, dicti de Garthou, omnibus hanc literam audientibus et legentibus volumus esse notum, quod de bono consensu et omni libera voluntate heredum nostrorum vendidimus domino Hinrico, plebano in Redickestorp, iusto here-

ditatis titulo specialiter ego Henninghus unum mansum in villa et in campis Wentuelde soluentem annuatim X modios filiginis et in villa Prifcer in una curia, quam colit Willekinus, VII modios filiginis, et in villa Jekelue in quadam curia, quam colit Kaulize, V modios filiginis vendidi domino Hinrico predicto et resignavi omni iuri, quod habui in predictis, ad manus domini supradicti. Hec bona domina Duciffa commisit Frederico juniore de Garthou, donec dictus plebanus proprietatem posset acquirere predictorum. Specialiter etiam ego Fredericus junior vendidi domino Hinrico memorato in predictis villis et curiis prenotatis videlicet Prifcer VII modios filiginis et in Jekelue V modios filiginis annis singulis ab omni impetitione perpetuo possidendas. Hec predicta bona sine redditus, quos a nobis predictus dominus Hinricus comparavit ad honorem Dei et ad remedium anime domini Hinrici, ultimi Comitis de Luchou et domini Hermanni Marchionis et ad remedium anime sue proprie et progenitorum suorum de Gartou monialibus ecclesie in Distorp ut predictorum annualis memoria fidelius peragatur perpetuis temporibus assignavit. In huius contractus evidens testimonium sigilla nostra et sigillum Frederici senioris de Garthou, ne predictus dominus Hinricus in bonis predictis, que memorate ecclesie donavit sicuti ipse habuit decipiatur, presentibus sunt appensa. Testes huius facti sunt Johannes apud fontem, Thidericus Bolc, Godeke Wolderi, consules in Soltwedele, Henninghus frater senioris Frederici, qui simul compromisit, Albertus sacerdos Altarista in Garthow et plures alii fide digni. Datum Garthow, anno domini M^o. CCC^o. XXVIII^o., in die S. Gregorii pape.

Gercken's Dipl. II, 184—186.

XXXIX. Boldevin und Werner von Bodendyk verkaufen dem Kloster Diesdorf das Dorf Zmoleue, am 1. August 1330.

In nomine domine amen. Nos Boldevinus et Wernerus, famuli, filii quondam Henninghi, militis, de Bodendyke, notum facimus presentibus et futuris publice protestando, nos unanimi voluntate atque consensu et ratihabitione omnium heredum nostrorum et fratrum nec non omnium et singulorum quorum de iure intererat nobis plenissime accedente honorabili viro domino Gundero preposito totique conventui in Distorpe villam Zmoleue, in qua dicti prepositus et conventus prius censum habuerant, cum omni iure et fructu, quibus ad nos iure hereditario pervenerat et hactenus possedimus, pure venditionis titulo pro centum et quadraginta marcis denariorum Luneburg, vendidisse, nichil iuris in dicta villa nobis et nostris heredibus reservantes, volentes siquidem eidem domino preposito et conventui de dicta villa debitam et sufficientem prestare warandiam, sicut iuris est et consuetudinis approbate. In quorum omnium et singulorum evidenciam sigilla nostra presentibus sunt appensa. Ego etiam Conradus, dictus Wolcmarus, famulus, testis istius rei qui presenti contractui interfui ad maiorem cautelam sigillum meum duxi presentibus apponendum. Datum et actum anno domini M^o. CCC^o. XXX^o., Kl. Augusti.

Gercken's Dipl. II, 186—187. — Statt Gundero prep. ist wahrscheinlich Swidero zu lesen.